

alius justus titulus, » qui potest esse quadruplex. Primus igitur justus titulus percipiendi fructus ex pignore sine diminutione sortis, est, si creditor fundum oppignorandum, seu oppignoratum justo pretio emat cum pacto retrovendendi, quoties debitor voluerit pretium refundere; tunc enim fundus, seu alia res pignoris naturam amittit, adeoque non ut pignus priori domino, sed ut res empta emptori, et possessori, tanquam novo domino licite fructificat, ejusque damno perit, donec reddito pretio redimatur. Venditio enim cum pacto redemptionis valida est, et licita, textu expresso in l. *Si fundum 2. cod. De pactis inter emptor. et venditor.* Communis doctorum cum Cajet. 2-2, q. 78, art. 2, ad 6; Lugo, cit. disput. 25, sect. 8, num. 132; Layman, lib. 3, tract. 4, c. 16, n. 17; Sporer, tom. II, tr. 6, sect. 3, n. 102; Reiffenstuel, lib. v *Decretal.*, tit. 19, n. 111.

(46. Secundus justus titulus percipiendi fructus ex pignore, est, si fundus fructiferus acceptetur in pignus, adjecto contractu censuali, per quem subministrans pecuniam ex fructibus talis fundi percipiat quantitatem pensionis jure census percipi solitam juxta morem patriæ, donec sors, seu pecunia subministrata restituatur: Reiffenst., *loc. cit.*, n. 110; Sporer, *loc. cit.*, n. 102; Layman, *loc. cit.*, n. 17, cum pluribus ibi citatis, Lugo et alii passim.

(47. Tertius justus titulus percipiendi fructus ex pignore, est, si pignus sit datum marito, donec ei solvatur dos promissa; tunc enim maritus, ut habeat unde onera matrimonii sustinere valeat, potest licite fructus percipere ex tali pignore sine diminutione sortis, donec ei dos promissa solvatur; textu expresso in cap. *Salubriter 10, De usuris*, ibi: « Sane generum ad fructus possessionum, quæ sibi a socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem non credimus compellendum, cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda. » Et sic doctores citati, et alii communiter.

(48. Quartus justus titulus percipiendi fructus ex pignore, est, si feudum, vel res emphyteutica detur in pignus domino ejusdem directo; tunc enim dominus directus potest licite sine diminutione sortis recipere fructus talis feudi sibi a vassallo oppignorati, dummodo, interim ab ipsius servitiis absteineat, cap. 1, *De feudis*, et cap. *Conquestus 8, De usuris*; quia, ut recte notat Fagnanus in d. cap. 1, *De feudis*, n. 3; cum vassallus interim non præstet conventa

(118) *Nota Romani theologi.* — Animadvertas velim, mutuam animo lucrandi feneratorum esse, ut ex dictis liquet. Cavendum itaque est in eo, qui petenti mutuum illum contractum offert emptionis, et locationis, cavendum, inquam, in eo homine est, ne spe lucri incitatus, avaritiam foveat, et mentalem saltem usuram committat; quamobrem periculi plenus habetur hujusmodi contractus a nostris censoribus. Periculum quoque agnoscunt usuræ in alio contractu, de quo n. 51 quia dives cogit

servitia domino directo feudi, suspenditur obligatio contractus inter dominum et vassallum, et sic res feudalis redit ad primævam suam naturam, adeoque dominus directus licite percipit ejus fructus, ac si feudalis non esset, coalescente directo, ac utili dominio; et sic pariformiter est dicendum de re emphyteutica. Sic Layman, *loc. cit.*, n. 20, cum pluribus ibi citatis; Lugo, *loc. cit.*, num. 147; Sporer, *loc. cit.*, num. 102; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 114, et communis aliorum.

(49. Contractus ille, qui vulgo dicitur a *godere*, quo scilicet aliquis dat sufficientem pecuniam alteri, ut ipse, quandiu utitur dicta pecunia, cedat illi domum, vel aliam fructiferam rem interim fruendam, est licitus, si interveniat titulus lucri cessantis ex parte illius, qui pecuniam dat. Azorius, part. III, lib. IX, cap. 20; Silvester, in *Rosa aurea*, tract. 3, cas. 65; Lugo, *loc. cit.*, n. 136, et alii communiter; cum illa enim pecunia posset emere, v. g. tot loca montium, ex quorum fructibus posset solvere pensionem domus, seu rei fructiferæ, quam accipit. Unde, qui pecuniam dat, relinquit mutuatario interesse illud lucri cessantis pro pensione, quam pro domo, seu re fructifera ab ipso accepta deberet illi solvere singulis annis. Si autem desit titulus lucri cessantis, et qui dat domum, vel rem fructiferam interim fruendam, sit capax alienandi, seu vendendi, tunc contractus ille potest esse licitus, si dans pecuniam illam emat justo pretio dictam domum, vel rem fructiferam cum pacto illam retrovendendi, quoties debitor voluerit pretium refundere juxta dicta *supra* sub n. 45.

(50. Si quis alicui petenti mutuos, v. g. centum aureos, respondeat, non do tibi mutuos istos centum aureos, sed istis emo a te decem tuas vaccas, quas tibi loco pro tali annua pensione mihi solvenda, excusatur communiter ab usura, si ille alter de facto vaccas utiles habeat proportionate ad talem conventam pensionem, et serventur conditiones requisitæ ad contractum justæ locationis, et præsertim hæc, ut periculum vaccarum spectet ad locantem tanquam emptorem, et earum dominum. Si vero ille alter revera dictas vaccas non habeat, nec habiturus sit, est merissima usura sub ficto emptionis, et locationis nomine palliata. Sic Major, in 4, d. 15, q. 46, causa secunda; Layman lib. III, tract. 4, c. 16, n. 15, vers. *Quæstio quarta*; La Croix, lib. III, p. II, n. 899; Sporer, tom. II, tract. 6, sect. 3, num. 97, ubi testatur de communi (118).

(51. Ab usura excusatur, qui mutuum a

pauperem et inopem mutuo ob indigentiam petentem ad locandam operam suam tempore messis, etc., atque hac via palliare usuram potest, vel mentalem fovere. Hæc vero notanda duxi, ut Christiani homines periculum agnoscant, in quo se exponunt peccandi, avaritiæ, et contra Christi mandatum « mutuum date nihil inde sperantes. » Idem dicitur de contractu, qui vulgo dicitur, a *godere*, de quo n. 49. Nam quoties tradens pecuniam, jus sibi reservat ad eam repetendam, purum, putumque mutui contractum

se petenti respondet: « nolo tibi mutuare, sed hac anticipata pecunia conduco operas tuas ad futuram messem, seu vindemiam, dummodo tamen talis pecunia sit sufficiens, et proportionata merces ad dictas operas juxta consuetudinem regionis. » Sic supracitati doctores, Molina, et alii.

(52. Regulares non possunt accipere pecunias mutuo, vel ad cambium cum solutione alicujus lucri, vel cum obligatione honorum. *Vid.* verb. *ALIENATIO*, art. 4, n. 35.

(53. Mutui contractus lucrum supra sortem de sui natura non recipit Bened. XIV, tom. I, constit. 142, incip. *Vix pervenit*, § 3. (54. Nec quantitas moderata lucri, aut qualitas mutuatarii hujusmodi lucrum ab usuræ labe justificat. Idem. *ibid.* (55. Nihilominus quidam tituli ipsi mutuo extrinseci, aliique contractus a mutuo diversi justum reddere possunt proventum ultra sortem. Idem. *ibid.* (56. Sed non semper suppetere credendum est legitimos cum mutuo titulos, aut justas causas ineundi contractus a mutuo diversos. Idem. *ibid.* (57. Mutuum dare indigenti aliquando est de præcepto, juxta illud Christi Domini, *Matthæi* v, 42: *Volenti mutuare a te, ne avertaris.* Idem. *ibid.* (58. *Vide* tom. VII, verb. *USURA*, ubi in fine affertur dicta constitutio.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(59. Quod ait auctor n. 4 civitatem ex mutuo non teneri, si non probetur, pecuniam mutuo datam in rem ejus versam esse, id non est indistincte verum. Primo enim tenetur, etiam non probata hac versione, si mutuum datum sit omnibus civibus simul convocatis. Coler., *De process. executiv.* part. II, c. 3, n. 336 et seq.; Bachov., *ad Treutler*, vol. I, disput. 20, n. 5, litt. A.

(60. Secundo, idem est, si mutuum contractum sit ab illis, quibus civitas omnem in se potestatem dedit, ita ut penes illos omne imperium sit, populumque universum representent. Stryck., *Juridic. dissert.*, vol. IV, disput. 18, cap. 5, n. 34; Coler., *loc. cit.*, n. 361.

(61. Tertio, idem quoque est, si administrator vel etiam syndicus habeat speciale mandatum a civitate ad accipiendam pecuniam mutuo in certam causam, modo non appareat eum legibus civitatis, fini, et menti eorum, qui illum constituerunt, contrarium fecisse. Stryck., *ubi supra*, n. 36 et seq.; Losæus, *De jur. universit.*, part. III, cap. 4.

N

NATALIS, NATALE.

SUMMARIUM.

1. Hoc nomen anniversariæ quarumcunque relictarum, seu letarum, seu tristium commemorationi

celebrat, ut, si ultra sortem quidpiam percipit, usura est, ac fructus, qui ex domo, vel re fructifera percipit, restituere tenetur ac lucrum cessans,

(62. Num vero id ipsum obtineat, quando administrator habet mandatum speciale mutuo accipiendi in genere, et non in certam causam? Affirmat autem Losæus, alleg., l. c., ne contrahentes confisi de mandato decipiantur; confer et Strick, *loc. mox cit.*

(63. Palet itaque ex his, tunc non teneri civitatem ex mutuo, non probata versione, quando ipsum mutuum fuit contractum nudo administratore, qui nec speciale mandatum ad illud contrahendum habebat. (64. Cæterum et hic, si « ex necessitate officii, quod gerit, » mutuo accipit pecuniam, tenetur civitas, etiam non probata versione, cum hoc in casu sit præsumendum mandatum civium. Stryck. eodem *loc. cit.*, n. 39.

(65. Quod de civitate dictum est, id ipsum intelligas de ecclesia, et alia quavis universitate.

(66. An in casibus illis, in quibus civitas vel ecclesia tenetur ex mutuo, non probata versione, habeat beneficium restitutionis in integrum, si revera pecunia illa in rem ejus non sit versa? affirmant Hartman. Pistor., lib. I, quæst. 37, n. 61 et sequent.; Stryck., *Juridic. dissert.*, vol. XIII, sect. 2, cap. 1, § 12. (67. At dubito, num amplecti hæc opinio possit in casu in quo pecunia mutuo data sit civibus omnibus simul convocatis.

(68. Opinio auctoris n. 18. quod nec jurato filiusfamilias renuntiare valeat *Sen. cons. Macedoniano*, de jure canonico difficultatem patitur, modo non expresse ad turpem causam credita ipsi sit pecunia, de super dolose exactum juramentum; Stryck., *loc. mox cit.*, § 15, et ex professo Gothofred. de Jena, *De Sen. cons. Macedoniano*, sect. 8, aphor. 8.

(69. De mutuo publico, quod ex publica necessitate exigit princeps a civibus, reluctantibus ad ipsum compellendo, *vide* Martin. Dautell. *De mutuo publico.*

MONITUM EDITORUM CASINENSIVM.

Mutuum quod attinet, et quid tenendum quantum ad illos, qui capitalia sua tradunt, ut inde fructus percipiant juxta taxam a lege civili præscriptam, et quid amplius quoad confessarios sit in hac re attendendum, videre est in decretis, quæ a S. Sede Organo S. Pœnitentiariæ, ac supremæ congr. S. Officii edita sunt ab an. 1822 ad an. 1833 ac deinceps, quæ per extensum referemus ad calcem hujus tomi, sub v. *MUTUUM*, cum propriis considerationibus ibi adjiciendis.

olim tributum. — 2. Lactis deinceps festis datum. — 3. Hinc natalis Calicis. — 4. Papæ. — 5. Episcoporum. — 6. Quorum uterque etiam natalis ca-

in eo, qui pecunias dedit, sufficiens titulus non est, nisi omnes condiciones occurrant supra recensitæ.

thedræ dicitur. — 7. Natalis basilicæ. — 8. Natalis sanctorum, scilicet obitus. — 9. Eorumdem natale genuinum. — 10. Natalis depositionis. — 11. Natalis illorum pro dedicatione templi Deo eo-

(1. Antiqui quasvis insignium rerum anniversarias memorias natales vocabant. Ita Alexandrinos natalitia magni terræmotus sub Valentiniano quotannis recoluisse, Sozomenus narrat, lib. vi, cap. 2.

(2. Cæterum quod natalis cujusque dies antiquis lætus erat, adhiberi passim natalis nomen cœptum est, præsertim ad lætos alios, qui singulis annis recurrunt, significandos. Hinc :

(3. Ante medium quinti sæculi feria v in cœna Domini denominabatur natalis calicis, ut ex Calendario apud Bollandianos t. VII *Junii*, pag. 178, habemus. Rationem reddit S. Eligius Noviomensis, aut alius sub ejus nomine *Bibl. Patr. Colon.* t. VII, editus hom. 10. *De cœna Domini*, ubi ait : « Vocatur enim hæc dies cœna Domini; vocatur et natalis calicis : et merito, quia hac die mysticum Pascha Dominus cum discipulis suis celebrans, sacramenta corporis et sanguinis sui illis, atque per illos nobis tradidit, et ipse celebrationis INITIUM fecit. »

(4. Natalis quoque Papæ dicebatur annua susceptæ a Summis Pontificibus ordinationis memoria. Nimirum, inquit doctissimus Rosweidus in epistolam 16 S. Paulini Nolan, ut olim imperatores Imperii sui ortum, seu Natalem celebrabant (quare in Silvii Laterculo x Kal. Nov. ascribitur natalis Valentiniani Purpuræ, et in Bucheriano Calendario 6 Idus Novembr. notatur natalis Constantii, scilicet, ut est in Idacii Fastis, dies, quo levatus est Constantius Cæsar), ita Romani Pontifices Episcopatus sui natalem celebrare sunt soliti. Sixtus III, Pontifex ad Cyrillum ep. Alexandrinum a Christi 432 : « Ad Beat. apostolum Petrum ait, fraternitas universa convenit : ecce auditorium congruens auditoribus, conveniens audiendis. Habuerint coepiscopi nostri illum gratulationis testem, quem habemus honoris exordium. Sanctæ namque, et venerabili synodo, quam natalis mihi dies, favente Domino, congregat, quia sic credendum est, ipse præsedet. » Idem epistola ad Joannem episcopum Antiochenum : « Audivit universa fraternitas, quæ ad natalis mei convenerat diem, qualiter bono humani generis Apostolicæ Sedis, me præside, gratulentur. » Hilarius Papa in epistola ad episcopos Tarraconensis provincie : « Lectis ergo in conventu frâtrum, quos natalis mei festivitas congregat, litteris vestris. » Ea festivitas inter solemnia connumerabatur, veluti illa indicant, quæ profert Anastasius Bibliothecarius in Vita Adriani primi : « Denique ejus beatitudo fecit et pharum majorem in eadem B. Petri Ecclesia in typum crucis, qui pendet ante presbyterium, habentem candelas mille trecentas, et septuaginta. Et constituit, ut quatuor vicibus in anno ipsum pharum accenderent, id est, in Nativitate Domini, in

rumdem nomine erecti. — 12. Ubi ergo natalis sanctorum occurrat, sedulo videndum, quid eo nomine significetur.

Pascha, in Natali Apostolorum, et in NATALI PONTIFICIS. »

(5. Neque id e more fuit tantummodo Romanorum Pontificum sed et cæterorum episcoporum. Sic S. Augustinus ep. 108, n. 5, et lib. ii *contr. Lit. Petil.*, cap. 23, frequentissima numerositate Thamagudensis Optati natalitia celebrata perhibet, anniversarium nempe suscepti episcopatus diem. Gregorius quoque Turonensis hoc sensu « natale episcopatus S. Martini » appellat in lib. i *De miraculis* ejusdem S. Martini cap. 6, « sciatis, quia post hoc triduum natalis episcopatus ejus esse consueverat. » Hujus rei locuples quoque testis est S. Ambrosius lib. viii, ep. 60, *ad Felicem*. Tandem, ne in re notissima longior sim, in Lectorarii Luxoviensis a Mabillonio vulgati legenda 71 exstat lectio in *Natale episcopi*.

(6. Utrumque natale cum Romanorum Pontificum, tum episcoporum vocabatur etiam natale cathedræ. Quare in pervetusto Bucherii Calendario viii Kal. Martii occurrit natale Petri de Cathedra. Augustinus quoque, aut alius antiquus auctor serm. 15. *De sanctis* in festo Cathedræ S. Petri ait : « Institutio solemnitas hodiernæ a Senioribus nostris cathedræ nomen accepit, ideo quod primus apostolorum Petrus hodie episcopatus cathedram suscepisse referatur. » Anniversario cathedræ die concionem habebant episcopi. Vide S. Leonem M., serm. 1, 11 et 111, et Augustinum, hom. 24 et 25, ex libro i *Homiliarum*. Aliquando eo die aliorum panegyricis laudabantur episcopi; ita Petrus episcopus panegyrico sermone ornatus fuit a Chrysologo serm. 107, et Laurentius Mediolanensis episcopus ab Ennodio sacra dictione prima.

(7. Natalem quoque basilicæ sæpe in veterum monumentis offendes. Anniversarius dies est, quo basilicæ solemnibus ecclesiæ catholicæ ritibus fuerat dedicata.

(8. Natalis sanctorum plerumque dies est, quo ex misera hac lacrymarum valle ad cœlestia gaudia evolarunt. « Natalem, inquit Augustinus in *natali Cypriani martyris*, hodie sicut nostis, celebramus. Quod nomen sic frequentat Ecclesia, (id est natales), ut natales vocet pretiosas martyrum mortes. » Et paulo post : « Quid est hoc, fratres? Quando natus sit, ignoramus; et quia hodie passus est, natalem ejus hodie celebramus. » Huc spectat natalis martyrii in Actis S. Polycarpi, et natale S. Agnetis de passione in Sacramentario Gelasiano. Tertullianus quoque, *Lib. de corona milit.*, n. 36, martyrii solemnia natalitia appellat. Sed de his audiatur etiam S. Nicolaus I Pontifex, in celebri epistola *ad consulta Bulgarorum* cap. 5 : « Consuetudinem, inquit, tenet Ecclesia, ut solemnem beatorum martyrum, vel confessorum Christi dies, quibus ex hoc mundo ad regionem migraverunt vivorum nuncupentur NATALES; sed et eorum so-

lemnia non funebria tanquam morientium, sed utpote in vera vita nascentium natalitia vocentur » In eandem sententiam loquitur Carolus rex epistola 2 *ad Albinum abbatem*, ex qua in ms. collectione canonum cardinalis Laborantis, tit. 19 primæ partis libri vi, *De octavis diebus festivitatum* hæc afferuntur, Cl. Præsule Aptonello teste in *Miss. Vetus Rom.*, p. 24. « Duas stolas sunt habituri sancti, glorificationem scilicet corporis et glorificationem animæ. Altera præcedit alteram, stola videlicet animæ. Hæc enim in die positionis carneæ gravitatis, et sarcinæ corporalis accipitur; qui dies *natalis, seu natalitium hujus illiusve sancti vocatur*. Tunc quippe vir sanctus, cum præsentis miseræ moritur, nascitur æternæ felicitati : Dies, inquit, mortis dies nativitatis, et sociatur angelicis choris, et ut pro nascente puero fieri solebat antiquitus, pro eo natalitium celebratur in terris, de ejus assumptione gaudium fit in cœlis, et cui veluti concorporali membro cætera membra congaudent ». Certe isthæc natalitia, sive anniversariæ martyrum commemorationes Eucharistiæ, hoc est gratulatoriæ et lætitiæ testes erant, ut animadvertit cl. Muratorius in opere *De paradiso*, cap. 10, p. 87. Conferri etiam poterit Baronius in Adnotationibus ad Martyrologium xi, *Non. Januar.*

(9. Si quando tamen ipsa alicujus sancti in terris nativitas celebranda videretur, ea natalis genuini et ingenuini nomine designabatur. In missali Gelasiano exstant orationes missæ in natale genuinum, nempe in diem, quo quis ex matris utero emersit in lucem. Vide Thomasium in *Orationali*, tom. II, pag. 552. Hinc apud Rhabanum ad d. 28 Januarii; « Romæ S. Agnetis genuinum; » suppl. natale, quod antiquiores dixere : « Nativitas S. Agnetis virginis, » vel etiam, ut in eodem Gelasiano Sacramentario, « na-

tale ejusdem de nativitate. » Vide Mazzuchium tom. I, *Kalend. Neapol.*, p. 17, et equitem Victorium, *Dissert. philolog.*, p. 20.

(10. Ipsa quoque dies depositionis, seu sepulturæ sanctorum *natalis* nomen non raro obtinet; imo et ipsa translationis reliquiarum dies eodem nomine prænotatur; sic natalis reliquiarum Stephani protomartyris in Martyrologio Hieronymiano iv Nonas Augusti recolitur.

(11. Tandem alicujus sancti natalis dies quoque appellabatur ex ipso ethnicorum more dies, quo fuerat Deo templum aliquod sub ejus nomine dedicatum. « Natalis Nicomedis martyris » pro dedicatione Ecclesiæ ejusdem Nicomedis legitur in genuino Bedæ Martyrologio, et in Martyrologiis reginæ Suevorum, et Othoboniano. « Natalem quoque sanctæ Mariæ ad Martyres » duo Bedæ apographa optimæ notæ in codicibus Palat. Vatic. 833 et 834. Ado, Usuardus, Nolkerus, alique exhibent, utque in cæteris Martyrologiis « dedicatio ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Martyres. » Habetur quoque in vetustissimo Leoniano Sacramentario pro dedicatione Ecclesiæ S. Michaelis archangeli « natale basilicæ Angeli in Salaria. » Dixi id factum « ex ipso ethnicorum more. » Romani enim ethnici, ut animadvertit Cl. Althanus p. 65. Natalis nomine eodem plane sensu usi sunt; sic apud Ciceronem lib. iv *ad Attic.*, ep. 1, « Natalis salutis » dies vocatur, quo templum fuerat saluti inscriptum.

(12. Cavebis igitur ne ubi sancti cujuspiam natalis occurrat, statim credas diem mortis designari. Multa antequam hac de re judicium feras, consideranda erunt, ducibus Baronio, Sollerio, Georgio et Mazochio ad Calendarium Neapolitanum.*

NAUFRAGIUM, NAUFRAGANTES.

SUMMARIUM.

1. Per naufragium quid intelligatur? — 2. Naufragantium bona remanent adhuc de jure suorum dominorum. — 3. Sic etiam de jure suorum dominorum remanent adhuc bona illa, quæ in naufragii periculo conjiciuntur in mare. — 4. Hinc talia bona post naufragium reperientes in littore maris, aut fluminis, seu ea piscantes in mari, vel flumine tenentur restituere domino. — 5. Imo qui talia bona non restituit domino, quadruplo tenetur. — 6. Qui imo ea ratione retinens, et non restituens publicatione bonorum mulctatur. — 7. Unde si quæ esset alia lex, aut consuetudo talia bona non restituendi, tanquam injusta esset deserenda et abroganda. — 8. Hinc naufragantium bona inventa sibi assumentes, excommunicati sunt. — 9. Excommunicationem etiam incurrunt accipientes scienter bona ab iis, qui naufragantium bona acceperunt. — 10. Nec refert, quod ea bona dominus nunquam forsitan recuperaturus fuisset, nisi talis piscator v. g. aut ereptor magna industria, labore et periculo vitæ, ea recuperasset. — 11. Potest tamen talis piscator, aut ereptor compensationem laboris ac periculi sui debite æstimatum jure exigere. — 12. Unde naufragii tempore, qui vocati a patronis navium, seu barcharum, auxilium eis ad bonorum præservacionem

præstiterint in portibus et ripis ditiori Papæ subjectis, lucrantur quartam partem bonorum præservatorum, aut acceptorum. — 13. Et insuper consequuntur indulgentiam decem annorum et totidem quadragenarum. — 14. Et e contra non dantes auxilium naufragantibus incurrunt crimen læsæ majestatis. — 15. Qui Christianos naufragia patientes rebus suis spoliare præsumunt, incurrunt excommunicationem. — 16. Item excommunicationem incurrunt, qui Christianos navigantes rebus suis spoliant. — 17. Si, ut a periculo naufragii liberetur navis onusta mercibus plurium mercatorum, projectæ sint in mare merces aliquorum duntaxat ex illis, tenentur omnes pro sua parte æque reparare, vel compensare judicio viri periti damna eorum. — 18. Mercatores, quorum merces præservatæ sunt a naufragio ob exoneracionem navis factam per projectionem mercium aliorum in mare, debent contribuere juxta valorem, et pretium suarum mercium sine respectu, aut ad gravitatem, aut ad majus, vel minus spatium, quod occupant. — 19. Si autem dominus navis, sæviente tempestate, anchoras, aut alias navis partes amiserit, non tenentur mercatores talem jacturam ei compensare. — 20. Si vero vectorum voluntate, et utilitate ad evitandum naufragium talis navis partes projectæ